

Fabrique d'une ville médiévale

# Fabrique d'une ville médiévale

## Saint-Émilion au Moyen Âge

textes réunis par

Frédéric Boutouille, Dany Barraud et Jean-Luc Piat

*avec le concours financier de la Direction régionale de la Culture, Service Régional de l'Archéologie, l'Institut Ausonius (UMR 5607), l'université Michel de Montaigne-Bordeaux 3, la Communauté de communes de la Juridiction de Saint-Émilion, et soutenue par l'Institut des Sciences Humaines et sociales du CNRS*

*Aquitania*

Supplément 26

– Bordeaux –

# Sommaire

AUTEURS .....	7
AVANT-PROPOS, par B. Lauret .....	9
INTRODUCTION, par Fr. Boutouille, D. Barraud, J.-L. Piat .....	11

## 1. D'Ascumbas à Saint-Émilion

P. RÉGALDO-SAINT BLANCARD	
Un écrin d'histoire : le territoire de la juridiction de Saint-Émilion avant le Moyen Âge.....	21-38
J.-L. PIAT, CHR. SCULLER, avec la collab. de V. DELAUGEAS	
À six pieds sous terre ou au ciel : les lieux d'inhumations de surface et souterrains de Saint-Émilion .....	39-102
C. TREFFORT	
L'épithape de <i>Costaulus</i> : un monument épigraphique du milieu du XII <sup>e</sup> siècle .....	103-112
R. VERGNE, P. MORA, avec la collab. de FR. BOUTOULLE	
La numérisation et la visualisation 3D de l'épithape de <i>Costaulus</i> .....	113-122

## 2. Saint-Émilion et la mémoire canoniale

FR. DOLBEAU	
Le dossier hagiographique de saint Émilion.....	125-138
J.-L. LEMAITRE	
Le "Livre du chapitre" de l'abbaye de chanoines réguliers de Saint-Émilion (XII <sup>e</sup> -XIII <sup>e</sup> siècles) .....	139-152

## 3. Mémoire des pierres, langue des formes

É. JEAN-COURRET	
Approche des dynamiques spatio-temporelles de la formation de Saint-Émilion à travers le plan de 1845 .....	155-180
J. MASSON	
L'église collégiale de Saint-Émilion .....	181-198

CHR. GENSBEITEL	
Le "Palais Cardinal" .....	199-214
PH. DURAND	
La Tour du Roy de Saint-Émilion est-elle une construction royale ? .....	215-236
P. GARRIGOU GRANDCHAMP	
L'architecture civile du XII <sup>e</sup> au XIV <sup>e</sup> siècle à Saint-Émilion : bilan des connaissances et problématiques de recherche .....	237-262
Annexe. Inventaire des maisons de Saint-Émilion - XII <sup>e</sup> -XIV <sup>e</sup> s.....	263-310

## 4. La bourgeoisie de Saint-Émilion, entre jurade et négoce

FR. BOUTOULLE	
L'apogée d'une "bonne ville". Saint-Émilion pendant les premiers temps de la jurade (1199-1253) .....	313-346
S. LAVAUD	
Genèse d'un territoire viticole : le vignoble médiéval de Saint-Émilion .....	347-362
S. FARAVEL	
Saint-Émilion et la "Mer" : les relations de Saint-Émilion avec la Dordogne au Moyen Âge.....	363-372
J.-CHR. TÖLG	
Saint-Émilion et le roi. Les relations avec la couronne de France après la conquête de 1453.....	373-386
CONCLUSIONS, <i>par B. Cursente</i> .....	387-392
ANNEXE	
La vie de saint Émilion (ou Vie A).....	393-398
RÉSUMÉS.....	399-411

## Annexe

# La vie de saint Émilion (ou Vie A)

---

La Vie A a été éditée par Ernest Allain en 1894. On la trouvera ci-dessous, revue par Fr. Dolbeau après collation du ms. des Archives départementales de la Gironde (G 902).

B = Bordeaux, Archives départementales de la Gironde, G 902, ff. 150-155<sup>v</sup>

ed. = E. Allain, *Une vie inédite de saint Émilion*, dans *Analecta Bollandiana*, 13, 1894, p. 433-439

### Incipit uita sancti Emilianii confessoris

[I.] Gesta scribere sanctorum laus et decus est cunctorum fidelium, qui in terris angelicam duxere uitam, in cælisque pro meritis cum Christo promeruere gloriam. Namque christicolis mos est omnia contemptibilia huius mundi pro amore sui conditoris ferri<sup>a</sup>, non solumque martirium publicum, uerum etiam occultum tolerantes. Extitit ex numero istorum beatus Emilianus, qui sicut stella fulgida ex orbe processit. Fuit igitur ortus /f. 150<sup>v</sup>/ ex Britannia minori, scilicet in pago Venetensi, mediocribusque<sup>b</sup> parentibus altus est. Ab ineunte etate deum ualde diligens, transitoria et caduca eui respuens, florentem mundum toto adnisu mentis ab ipso iuuentutis tempore omnimodis calcans, ieiuniis nimiis uigiliisque assiduis studebat domare seruam, ne insurgere moliretur contra dominam, et illecebrosas curas cogere in delectationibus perficere. Creber in orationibus, affabilis eloquio, cælebs, mente mundus, gratus, amabilis hominibus, ornatus moribus, sobrius, deo dignus omnibusque bonis affluenter repletus.

II. Sed quid dicam, paruus ingenio, cum non sufficiam narrare tantas<sup>c</sup> eius uirtutes ? Ipse enim laus eius est<sup>d</sup>, a cuius ore laus nunquam defuit. Nempe tante erat humilitatis, ut omnes eum quasi<sup>e</sup> dei angelum honorarent. Seruiebat enim omnibus, in elemosinis largus ; deo<sup>f</sup> omnimodis studebat placere : non solum fide sed etiam opere implebat monita saluatoris dicentis : *Qui audit mandata mea et facit<sup>g</sup> ea, ipse est qui diligit me*<sup>1</sup>. Igitur cum uidisset comes prefate ciuitatis eum omnibus bonis resplendere, super /f. 151/ cuncta bona sua eum preferens, habebat semper carum ex animo, sicuti<sup>h</sup> qui dei spiritum gestabat<sup>i</sup> in se. In qua seruitute omne bonum uiguit, et de ipsis bonis domini sui diligenter studebat egentibus ministrare.

---

1- Io 14.21.

III. Quidam ergo<sup>k</sup> inuidia<sup>l</sup> malignitatis accensi, uenientes ad suum dominum ei dixerunt : “Scis quæ agit iste<sup>m</sup> de tuis facultatibus uel<sup>n</sup> bonis ? Omnia tua deuastat, et pauperibus ac mendicis largiendo abunde distrahit”. Quibus dominus ait : “Quomodo mea, ut dicitis, plene distribuit ac deuastat, cui dominus tantam gratiam dedit, ut sit humilis in habitu, in consilio sollers, in omni honestate morum preclarus ?” Aiunt illi : “Vis ergo ut comprehendamus eum tua bona dispensantem ?” – “Non possum, inquit dominus, facile uos credere. Sed si feceritis hoc<sup>o</sup> quod dicitis, probabo per omnia uos esse ueraces.”

III. Illi autem pergentes eumque cum magno studio speculantes, una die, sicuti<sup>p</sup> mos illi erat, sumens non paucos panes subtuam suam cappam<sup>q</sup>, ferebat pauperibus inscius euentus rei. Qui statim nuntiantes suo domino, ipse cum illis citato gressu ueniens, dixit uiro dei Emiliano : “Quid est quod in sinu portas ?” – “Particulas, inquit, lignorum fero ad calefaciendos pauperes.” – “Ostende, ait, ipsas<sup>r</sup> particulas ut uideam.” Qui cappam<sup>s</sup> /f. 151<sup>v</sup>/ discooperiens, ipsi panes<sup>t</sup> quos ferebat ita sunt miraculo mutati uti<sup>u</sup> dixerat, scilicet in particulas lignorum. Quo uiso, reuerenter eum<sup>x</sup> et cum honore abire permittens, eosque qui eum accusauerant culpan, plus sanctum Emilianum postea dilexit et credidit quam antea<sup>y</sup> fecerat.

V. O stupenda prodigia ! Ipse enim per seruum suum hoc miraculum dignatus est patrare, qui in Cana Galileæ falernum fecerat ex limpha<sup>z</sup>, et qui in deserto produxerat ipsam ex petra durissima, sed qui quinque milia hominum pauerat ex quinque panibus et duobus piscibus. Sed quid mirum si in seruis suis Christus talia operatur, cum ipse dicat : *Qui credit in me opera quæ ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet*<sup>2</sup> ? Non solum enim ipsos panes in particulas lignorum, uerum etiam ipsas particulas in priorem modum, scilicet in naturam panum mutauit. Noluit enim omnipotens deus seruum suum cadere in mendacio, sed sicut uidebat eum uelle, ita dedit ei et posse.

VI. Post hæc autem reminiscens uerba domini dicentis : *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum*<sup>3</sup>, semetipsum respiciens, cuncta reliquit, et uelut alter Abraham exiens /f. 152/ de terra sua et de cognatione sua<sup>4</sup> secutus est Christum, non ambiendo terrena, non sectando caduca ; fugit honores infimos<sup>aa</sup>, contemptumque omne<sup>ab</sup> pro celesti gloria libenter amplexus est. Cunctis profuit amore Christi, quosque ualuit ad amorem supernorum erexit.

VII. His et aliis bonis repletus, decreuit propter macerationem carnis grauem callem sumere et in Galatia<sup>ac</sup> sanctum Iacobum apostolum inuisere ; ueniensque ad quoddam coenobium, post multorum dierum laboris et itineris fatigationem, in Sanctonicis partibus positum, cui nomen Salginense, a fratribus loci ipsius<sup>ad</sup> benigne susceptus est. Tunc temporis erat egregius ipsius monasterii pater, nomine Martinus, qui strenue super congregationem suam uigilans, multos studebat euocare ad fidei religionem.

VIII. Cum ergo uidisset beatum Emilianum gratia sancti spiritus imbutum, sciscitatus est eum unde aduenisset, uel<sup>ae</sup> quo pergeret. Vir autem domini omnem rei ordinem pandit, suamque peregrinationem sancto Martino indicauit. Sanctus autem Martinus inter dulcia colloquia respondisse fertur : “O karissime atque<sup>af</sup> amantissime frater, relinque omnia quæ sunt mundi et deo mecum stude placere. In tua enim mente potes inuenire Christum sanctosque eius, sicuti<sup>ag</sup> apostolus /f. 152<sup>v</sup>/ ait : *Templum dei sanctum est, quod estis uos*<sup>5</sup>, et : *Omnis qui facit uoluntatem dei manet in æternum, sicut et ipse manet in æternum*<sup>6</sup> ; sicut ipse ait : *Pater noster qui es in cælis*<sup>7</sup>, cum apostolos ortaretur orare, docens esse spiritum sanctum in sanctis hominibus.”

IX. “Si ergo deus ubique est, tunc facile magis possumus credere quia ubicunque sui serui seruitium suum exhibent, illic presentialiter adest<sup>ah</sup>, aut in opere, aut in signis, aut in prodigiis. Quapropter mecum uellem ut stares, uitamque angelicam imitareris<sup>ai</sup>, regulamque et habitum sancti Benedicti sumeres, ut post laborem huius

2- Io 14.12.

3- Mt 19.29.

4- Cf. Gn 12.1.

5- I Cor 3.17.

6- I Io 2.17 (Vetus Latina).

7- Mt 6.9.

ęui queas peruenire ad requiem patrię cęlestis.” His dictis, sanctus Emilianus in omnibus assensum prebuit, eiusque preceptis obtemperans, exiit ueterem hominem cum actibus suis, indutus est nouum qui secundum deum creatus est<sup>8</sup>. Dehinc coepit esse feruidus in dei opere, ita ut omnes fratres illic degentes feruentiores in omnibus redderet.

10. Quadam enim<sup>ak</sup> die audiens quandam sententiolam sancti Hieronimi dicentis : *Monachus uiuat in monasterio sub unius disciplina patris consortioque multorum, ut ab uno discat humilitatem, ab alio patientiam ; non faciat<sup>al</sup> quod uult, comedat quod iubetur, habeat quantum acceperit, operis sui pensa<sup>am</sup> persoluat, /f. 153/ subiciatur cui non uult, lassus ad stratum ueniat ambulansque dormitet, necdum expleto somno surgere compellatur, passus iniuriam taceat, prepositum monasterii timeat ut dominum, diligat ut patrem<sup>9</sup>*, hec atque huiusmodi audiens, cogitabat quomodo opere ualeret hec omnia adimplere. Deinde suffusus imbre lacrimarum, ut sui miseretur precabatur dominum. Tunc ut supra magis plus studebat in orationibus, in uigiliis, in ieiuniis, et non nisi triduo in ebdomada comedens siccam escam, scilicet pane et aqua contentus, exemplum sumens sancti Basilii : *Sit tibi, inquit<sup>an</sup>, canonice, supellectilis uilis et aqua breuis<sup>10</sup>*.

11. Cum igitur beatus Martinus uirum dei Emilianum diligenti studio Christo omnimodis placere peruidisset, cellerarii<sup>ao</sup> officium ei commendauit. Qui adimplens monita sui domini dicentis : *Non ueni ministrari, sed ministrare<sup>11</sup>*, sollerti uigilantia administrabat fratribus absque negligentia ea que uidebantur necessaria. Sed malignus Sathan qui prothoplastum<sup>ap</sup> Adam de paradisi amoenitate deiecit et qui a priscis temporibus semper fidelibus<sup>aq</sup> Christi inuidet, sicuti<sup>ar</sup> apostolus Petrus ait : *Aduersarius uester diabolus tanquam leo rugiens /f. 153v/ circuit, querens quem deuoret<sup>12</sup>*, eius inuidens bonis uirtutibus, instigauit quosdam degentes in ipso coenobio aduersus eum. Quadam enim die fatigatus lassitudine nimia propter laborem iugem, post diuturnum dei officium, ut mos est monachorum edendi ad horam, panis defuit. Cumque fratres sciscitarentur sanctum Martinum quid illa die comesuri<sup>as</sup> essent, ille aduocans uirum<sup>at</sup> dei Emilianum precepit ut perquireret aliquid quod edere potuissent. Ille uero absque mora festinans accelerare eius iussa, uti obsequeretur<sup>au</sup> preceptis domini qui ait : *Qui uos audit me audit<sup>13</sup>*, coepit esse sollicitus in administratione fratrum. Namque quidam instinctu demonis correpti, ei clibani palam unde panes soliti erant in ipso clibano ponere<sup>ax</sup> fraudantes, cum per diuersa quereret loca et non inuenisset, repente sese deliberans, in ipso clibano recenter igne scopato introiit, et panes ordinatim intro posuit, nullamque lesionem sui corporis sensit. Postquam uero panes cocti sunt, eos ab igne extrahens, dulcia fratribus preparauit fercula. *Mirabilis deus in sanctis suis<sup>14</sup>*. Sicut enim quondam tres Hebreorum pueri in ignem missi, sed non lesi, ita diuina pietas beatum Emilianum ab igne clibani illesum saluauit. Constat /f. 154/ ergo qualis spiritus in eo manserit, qui sic intactum ab igne exire permisit, ille nimirum qui dixit : *Ignem ueni mittere in terram, et quid uolo nisi ut accendatur<sup>15</sup>*, uidelicet qui scit exurere peccata delinquentium, et per temptamenta eui, nouit purgare mentes a criminibus suorum seruorum<sup>ay</sup>, ut ait quidam sapientissimus : *Tanquam aurum in fornace, probat suos electos dominus<sup>16</sup>*. Igitur sanctus uir, non elationis iactantie pompatus, sed dans gloriam et laudem deo, studebat magis ac magis<sup>az</sup> de uirtute in uirtutem proficere. Itaque fratres conspicientes patratum miraculum, fatentes culpam, quia sanctum uirum temptare ausi fuerant, ad penitentiam conuolantes, promiserunt numquam se amplius talia acturos. Sanctus autem uir eis omnia ignoscens<sup>ba</sup>, admonuit quatinus opus prauum dimitterent, studerentque agere quod bonum est. Illi autem libenter excipientes eius doctrinam, dehinc cum magno honore et ueneratione<sup>bb</sup> sanctum uirum habuerunt.

8- Cf. Col 3.9-10.

9- Jérôme, *Epist.*, 125.15 (par l'intermédiaire d'un florilège).

10- Source non identifiée. Canonice est ambigu et pourrait signifier aussi, avec une autre ponctuation, “conformément aux canons”.

11- Mt 20.28.

12- I Pt 5.8.

13- Lc 10.16.

14- Ps 67.36.

15- Lc 12.49.

16- Antienne du commun des martyrs, cf. Sap 3.6.

12. Videns autem uir dei Emilianus se fratrum honore cumulari, timens ne quod agebat dextera destrueret sinistra, id est bonum opus quod in se gestabat careret<sup>bc</sup> laude humana, occulte<sup>bd</sup> inde egressus, uenit ad quendam locum duobus milibus distantem a fluuio Dordonię. Qui locus ab incolis priscis temporibus Ascumbas uocitatur, ibique /f. 154<sup>v</sup>/ in quadam rupe tuguriolum cum ecclesia pro posse suo<sup>be</sup> excidit, in ipso domicilio se includens, orationibus, ieiuniis, uigiliis et totum se domino, sicut semper consueuerat, tradens. Tante enim erat simplicitatis et innocentię ut paruissimę auiculę, scilicet passeris, cotidie annonam de manu sanctissimi hominis consequerentur. Nam discedebant uni saturi, ueniebantque alii saturandi.

13. Igitur fama bonitatis eius passim cluebat<sup>bf</sup>, in tantum ut multi, non solum causa desiderii eum uidendi, sed etiam exemplis uel doctrinis eius inseruientes, meliores fierent. Erat enim dolentium consolator, Christum diligens ex omni mente et ex toto animo et proximum suum tanquam seipsum<sup>17</sup>, omnes homines diligens ut semetipsum et in exemplo suę bonitatis omnia omnibus factus est, sicut ait apostolus, ut omnes Christo lucrificaret<sup>bg</sup>: factus est enim infirmis infirmus, ut infirmos lucraretur<sup>18</sup>. Cunctis profuit in amore religionis, nullum lesit, nullum contempsit, nullum spreuit. Sed cum bonitatis eius fama ubique, ut prefati sumus, percelleret, multi ueniebant ad eum discere salutis medicinam, deferentes quę<sup>bh</sup> necessaria erant, reportantes dulcia uitę colloquia. Seminabat enim in lacrimis ut in gaudio meteret<sup>19</sup>, seminans /f. 155/ bonum opus, capiens mercedem aeternam.

14. Inter reliqua uero bonitatis eius opera, quędam mulier inter cęteros orbatis luminibus aduenit, dicens se esse admonitam in uisu, quatinus si sanctus uir signum sanctę crucis sua manu eius orbatis luminibus imprimeret, continuo lumen diu negatum claresceret. At uero sanctus Emilianus admirans fidem ipsius mulieris, post orationem fusam ad dominum, manum suam<sup>bi</sup> super oculos eius ponens, signum crucis edidit, pristinęque restituit<sup>bk</sup> incolomitati, et cum gaudio ad propria remisit.

15. Sed quid multis moror? Multa et innumera miracula per eum Christus operatus est, quę per negligentiam non sunt scripta. Sed modo uertamus stilum; his premissis, narremus qualiter dominus beatum uirum pro caducis et terrestribus digno premio remunerare dignatus est. Nam die quadam suspirans et orans, dominum precabatur dicens: "O Christe, uerbum patris ęterni<sup>bl</sup>, de hac conualle plorationis eripe me, et ad tuam fac quantocius migrare misericordiam. Qui dominus exaudiens pias eius preces, immisit ei modicam egritudinem. Sumptoque uiatico corporis et sanguinis domini, frontem ac omne corpus muniens signo uiuifice crucis, imbecillia membra sustentans, oculos ad cęlum erigens spemque suam in /f. 155<sup>v</sup>/ Christo ponens, felix ut semper uixerat, feliciter dignam deo animam emisit ad astra. Susceperunt autem animam eius sancti angeli, ferentes eam cum exultatione iocunditatis, ac hymnidicis modulationum<sup>bm</sup> carminibus, in amoenitate paradisi, ubi letatur cum sanctis, ubi etiam exultans canendo dicit cum psalmista: *Sicut audiuiimus, ita et uidimus in ciuitate dei nostri*<sup>20</sup>. Ibi audit<sup>bn</sup> ueluti regina Saba sapientiam Salomonis, id est Christi, et cum magna gratulatione colaudando loquitur dicens: *Verus est sermo quem audiui in terra mea, de uirtutibus et diuitiis et de sapientia tua*<sup>bo</sup>. *Non credebam narrantibus, donec ipse<sup>bp</sup> ueni, uidissemque oculis meis et probassem uix<sup>bq</sup> medietatem michi non esse narratam. Vicisti famam uirtutibus tuis. Beati uiri tui et beati serui tui qui cotidie assistunt coram te et audiunt sapientiam tuam*<sup>21</sup>. Obiit autem hic Christi famulus, plenus uirtutum meritis, VIII idus ianuarii, ac sepultus est in ipsa ecclesia quam ipse in rupe exciderat, temporibus Waiferi ducis Aquitaniae, regnante domino nostro Iesu Christo, cui est<sup>br</sup> honor et gloria in secula seculorum. Amen.

<sup>a</sup> ferre ed. <sup>b</sup> mediocrisque B<sup>ac</sup> <sup>c</sup> cunctas ed. <sup>d</sup> est eius ed. <sup>e</sup> tanquam ed. <sup>f</sup> deo ed. (cf. VIII): deum B <sup>g</sup> seruat ed. (ex Vulgata) <sup>h</sup> sicut ed. <sup>i</sup> gerebat ed. <sup>k</sup> autem ed. <sup>l</sup> inuidia ed. : -dię B <sup>m</sup> ille ed. <sup>n</sup> ut legit ed. (qui et coniecit)

17- Cf. Lc 10.27.  
18- Cf. I Cor 9.22.  
19- Cf. Ps 125.5.  
20- Ps 47.9.  
21- II Par 9.5-7.



<sup>o</sup> om. ed. <sup>p</sup> sicut ed. <sup>q</sup> cappam ed. : capam B <sup>r</sup> istas ed. <sup>s</sup> qui cappam om. ed. <sup>t</sup> ipsi panes iteravit B<sup>ac</sup> <sup>u</sup> ut ed.  
<sup>x</sup> om. ed. <sup>y</sup> ante ed. <sup>z</sup> limpha scripsi : linppa B <sup>lympha</sup> ed. <sup>aa</sup> infirmos B<sup>ac</sup> <sup>ab</sup> omnem ed. fort. recte <sup>ac</sup> cum ed.  
 gallaecia fort. legendum est <sup>ad</sup> illius ed. <sup>ae</sup> ut legit ed. (qui et coniecit) <sup>af</sup> et ed. <sup>ag</sup> sicut ed. <sup>ah</sup> ad eum ed. <sup>ai</sup> imitare  
 B<sup>ac</sup> <sup>ak</sup> autem ed. <sup>al</sup> facit B<sup>ac</sup> <sup>am</sup> impensa B<sup>bc</sup> ed. <sup>an</sup> om. ed. <sup>ao</sup> cellararii B<sup>ac</sup> <sup>ap</sup> prothoplaustum B<sup>ac</sup> proto- scripsit  
 ed. <sup>aq</sup> fidelis B<sup>ac</sup> <sup>ar</sup> sicut ed. <sup>as</sup> commesuri B <sup>at</sup> seruuum ed. <sup>au</sup> supra lin. scripsit B <sup>ax</sup> poni ed. <sup>ay</sup> seruorum suorum  
 ed. <sup>az</sup> ac magis om. ed. <sup>ba</sup> innocens B <sup>bb</sup> et ueneratione supra lin. scripsit B <sup>bc</sup> non careret ed. (sed careret hic  
 transitium est) <sup>bd</sup> occulte B <sup>be</sup> suo ed. : suum B <sup>bf</sup> eluebat legit ed. (qui elucebat coniecit) <sup>bg</sup> lucrifaceret ed. (ex  
 Vulgata) <sup>bh</sup> deferentesque ed. <sup>bi</sup> manu sua ed. : manum suam B <sup>bk</sup> reddidit ed. <sup>bl</sup> eterni (aet- ed.) : eterne B  
<sup>bm</sup> modulationem B<sup>ac</sup> <sup>bn</sup> audiuit ed. <sup>bo</sup> sua ed. <sup>bp</sup> ipsa ed. <sup>bq</sup> om. ed. <sup>br</sup> om. ed.

